

**05**

**A**

**1805**





COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO XVI.

Continens

QVÆSTIONES  
QUASDAM MO-  
RALES.

DEO Ter Opt. Max. adfistente

*In celeberrimâ ad Albin Academiâ*

PRÆSIDE

M. MATTHÆO Grossern/

Facultatis Philosophicæ Adjuncto.

*Respondente*

ELIA EMRICO Fridbergâ-Silesio.

*Academici exercitiij gratiâ*

*placidâ disquisitioni subiecta*

Ad diem 22. Aprilis.



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCCXXX.

QUESTIONES  
QUASDAM MO-

DR. THEOPH. MAX. SCHUBERT  
in collegio ad alios doctores



5081 A 50

QUESTIONES  
QUASDAM MO-

THEOPH. MAX. SCHUBERT

Anno 1805





Συὸ Θεῶ.



Uia haectenus cum bono DEO Disputatio-  
nibus XV. methodo captâ feliciter absol-  
vimus præcepta Ethica; numerus autem  
Collegiarum exercitationum moralium  
ordinariarum numerum excedit; Ideo  
quasdam adhuc lubet præcedentibus annectere Di-  
sputationes, quarum prima contineat QVÆSTIO-  
NES utiles in habitis exercitiis omiffas; quod dum  
facimus, ô Altissime, ex alto tua gratiâ & benedi-  
ctione hisce nostris adsis conatibus clementissimè,  
quò ea, quæ tibi grata & nobis utilia sunt, scribamus  
& defendamus; Ponimus itaq; quæstionem.

I.

*A quo QVÆSTIONES MIXTÆ, quarum scilicet  
alteruter terminus est Ethicus alter Theolo-  
gicus sint DECIDENDÆ; an A*

*THEOLOGO an ab*

*Ethico?*

Quæstiones mixtas hoc in loco vocamus eas, quæ termino  
Theologico & Ethico constant, de quibus statuimus, quod non  
tam ab Ethico, prout Keckermanno placet, quàm à Theologo  
decidi debeant. Hanc assertionem priusquam probatam da-  
mus, distinguimus inter quæstionis intellectum & probationem,  
hanc dispescimus in primariam & secundariam. Ad intelle-  
ctum explicationes terminorum Ethicorum multum facere, non  
inficias imus; secundariam PROBATIONEM Ethico non planè  
denegamus; PRIMARIAM verò SOLI THEOLOGIÆ tanquam  
fundamento proprio attribuimus moti hoc argumento.

A 2

Quæ

Quæ disciplina novit mutua terminorum in mixta propositione cohesionis principia, illa disciplina probet propositionem mixtam.

Atqui *Theologia novit principia cohesionis* in ejusmodi propositione.

E. Theologia propositionem mixtam probet.

Majorem stabilimus ita: in propositionibus non considerantur termini absolute & in se, quales seorsim sint; sed relative & quomodo cohaereant.

Minor est firma: Nam de terminis sacris nihil scit Ethica, multò minus de cohesionem eorum terminorum cum aliis terminis: Exempli gratia, quaeritur an Theologiae genus accuratum desumi possit ex habitibus intellectualibus ab Aristotele enumeratis; vel: An Theologia sit habitus ejusmodi intellectualis; hic Ethica muta est: novit etenim quidem terminum, quid sit habitus intellectualis, terminum autem Theologiae non novit, multò minus habitus intellectualis cohesionem cum Theologia; E. etiam ipsam conclusionem probare nequit; Ergò non Ethicus sed Theologus de tali quaestione differat eamq; exactè & primario prober.

## II.

*Num BONA INTENTIO quodvis opus reddat bonum & virtuosum?*

Augustinus l. 4. cont. Julian. cap. 3. per tot. Tom. 7. de bonis operibus ita differit: Opera non tantum debent bona fieri, sed etiam bene fieri; indicans illa bona opera demum esse bona, quæ etiam bene fiunt: Hinc Theologorum regula: Bona opera non nominibus sed adverbis judicanda; quibus absque dubio innuunt ad constitutionem tum virtutis Ethicæ; tum præsertim operis Theologicè boni non sufficere bonam intentionem agentis; sed requiri præterea, ut in sese opus sit rectum & cum lege vel naturæ vel divinitus præscripta conforme; quæ verba sunt B. Meisneri, ex quo ita argumentamur:

Quic-

Quicquid inesse potest operibus ἁσώδως malis, illud quodvis opus non potest reddere bonum & virtuosum;

Atqui intentio bona potest inesse operibus ἁσώδως malis;

Ergo bona intentio non potest quodvis opus reddere bonum & virtuosum.

Major suâ luce lucet; Minorem B. Meisnerus in Philosophia Sobria parte 3. hisce videtur probare verbis: Non licet furari, ut eleemosynas des alteri: Non fas est medico vulnerare proximum, ut bene illi faciat, vulnus inflictum curando. Non debuit Judas Christum prodere, ut servaretur genus humanum: non debuerunt fratres Josephum vendere, ut eveheretur in Ægypto. Ita (& hæc sunt verba Meisneri) Papistæ non debuerunt suffurari calicem in Eucharistia, ne qua sanguinis Christi gutta fundere- tur à Laicis: Non debuerunt excogitare purgatorium, ut Christiani retinerentur eò facilius in officio &c. Hisce innuit furtum, vulnerationem injustam, proditionem Judæ, venditionem fratrum Josephi &c. esse opera ἁσώδως mala; & tamen eis inesse bonam intentionem, quæ bona intentio seu potius prætextus bonæ intentionis opus malum non reddit bonum; Ideo propositam quæstionem negamus dicentes: Bonam intentionem non quodvis opus reddere bonum & virtuosum.

### III.

#### *An Theologia & Ethica DIFFERANT*

*inter sese;*

Ratione ἁσώδως Theologiam & Ethicam inter se non contrariari, hæc evincit ratio: quia omnis pugna est inter privativum & positivum; Ethica verò & Theologia non habent res contrarias: Nam hæc illius principia non evertit, sed *verum vero consonat*; & Theologia non est contra sed *supra Ethicam*: Itaq; Ethica Theologiæ quidem ut instrumentum inservit; attamen neq; absolutam identitatem neque absolutam diversitatem inter sese habent; sed ratione objecti ut & finis differre videntur: Nam Ethica hominem in civilibus, Theologia in spiritualibus informat, quæ sæpissime contra rationis acumen currunt.

A 3

IV. An

*An præcepta virtutum è SACRARUM literarum  
FONTIBUS petenda, an verò ex auto-  
ribus Ethicis?*

Quidam absolutè in affirmativam abeunt sententiam, eam probantes hoc Syllogismo:

*Si in Sacris quæ de virtutum officiis traduntur, omnia meliora sunt & perfectiora, quàm in Philosophia morali, ex sola Theologia præcepta moralia petenda;*

*At prius verum esse, vel scripta Salomonis haud obscure probant;*

*Ergo & posterius verum sit, ipsa ratio dicitur.*

Ad hunc Syllogismum responderet Dn. Heiderus *majoris connexionem negando simili*: Aurum enim (inquit) qui habent, argentum, æs & ferrum, si abjiciant, deliri sunt: Qui mel, oleum & vinum, si reliquos liquores effundant, desipiunt; Hinc concludit: etiam si bona majora nobis suppetant, non tamen minora aspernari & pro nihilo ducere convenit. Assumptionem limitat, concedendo scilicet in sacris quidem omnia plena & perfecta esse ratione finis, quem sibi propositum habent, & ratione populi, qui docendus, informandus; & ad pietatem ducendus: Contra verò plura (probat) reperire licet apud Philosophos & quâ materiam & quâ formam. Respondemus itaque ad datam quæstionem in cognitione præceptorum Ethicorum *utramq; & Theologiam & Ethicam esse conjungendam ducti sequentibus argumentis*:

Quo medio feliciter & melius Philosophiam moralem & Theologiam, Legem & Evangelium discernere (quod discrimen necessarium esse, nemo negabit) possumus, illud addiscendum.

Atqui *conjunctione cognitionis Theologiæ & Philosophiæ moralis has duas è melius discernere possumus*. (Nam cum ignoti nulla cupido: qui ignarus præceptorum moralium de re ignora dijudicare poterit.)

**E. & Theologia & Philosophia est addiscenda & per consequens præcepta moralia tam ex Sacris quàm ex Philosophia morali erunt petenda.**

Porro



Porro operæ pretium est, ut Theologus videat, quousq; ratio hominis, qui jam à sacris secessit, progredi potuerit; quod non præstare potest, nisi Theologus cognoverit præcepta Ethica. Adde, quod quæstionibus mixtis à Theologo probandis & explanandis multum lucis afferant moralia, prout in præcedentibus asseruimus.

V.

*An quis VIRGINEM ob pulchritudinem AMARE debeat?*

Adm. Rev. Dn. D. Jac. Mart. Præceptor noster honorandus requisita contingentia à personis matrimonium contrahentibus observanda præcipuam quidem esse dicit formam mediorum cum pudicitia, honestate & bonis moribus junctam: Nam hisce (inquit) innixa mens facile opinione supplet, quod formæ aliâs deest; attamen pulchritudinem non excludit; sed & ejus rationem in contrahendis matrimoniis habendam (moderatè tamen & modo debito non uti Sophistæ) esse concludit: cum amoris alimentum, sani corporis simulacrum, honestæ mentis indicium & probitatis argumentum esse soleat; Ex hisce itaq; concludimus amorem conjugalem (non verò impudicum & lascivum, quem hîc exulare volumus) non esse culpabilem, & per consequens sponsum reliquis conditionibus tam necessariis pubertate scilicet, legitimo consensu, pudore sive reverentiâ ergâ propinquos, quàm contingentibus, utpote probitate, æqualitate, virginitate, &c. observatis optimo jure & pulchritudinem attendere & ob eam virginem amare posse: quippe nequè Scriptura Sacra id prohibet; sed exemplis Abrahami & Jacobi potius eam nobis commendat.

VI.

*An BEATITUDO semel acquisita iterum AMITTI possit?*

Beatitudinem ita, prout in thesibus eam definivimus, acceptam, obscurari quidem (quippe beatus variis fortunæ procellis affligi valet) non autem penitus tolli, asserimus hoc moti fundamento.

Quic-

Quicquid ex habitu virtutis oritur, id non facile iterum  
amittitur: Nam habitus semel introducti proprium  
est tenaciter & constanter inhærere ac difficulter à sub-  
jecto moveri posse;

Atqui *beatitudo oritur ex habitu virtutis;*

Ergo non facile amittitur.

Minorem probamus ex definitione beatitudinis, quæ est  
operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & per-  
fectissimam in vita perfecta; Hinc licet multi ex bonis mali fa-  
cti visi; tamen non tam pro verè bonis quàm apparenter virtuo-  
sis habentur: Si verò beatitudinem moralem & civilem ex ple-  
bis opinione, quæ eos dicit bonos, qui in flore, uti vocant, vi-  
vunt, hoc est, quibus omnia prosperrimè & ex animi sententia  
procedunt, æstimemus contrarium forsitan statuendum erit,  
beatitudinem scilicet semel acquisitam amitti iterum posse, uti  
exemplum Croesi testatur & Ovidius lib. 5. Trist. de fortuna scri-  
bit hoc modo:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,

Et manet in nullo certa tenaxq; loco,

Sed modo læta manet, vultus modo sumit acerbos,

Et tantum constans in levitate sua est.

## VII.

*An Ethnicorum opera moralia sint pec-  
catum?*

Hic distinguendum esse arbitrantur inter opera considera-  
ta respectu spiritualis attributi, quatenus Deo accepta sunt &  
respectu convenientiæ cum lege divina, posteriori modo Ethni-  
corum opera peccata esse negant; priori affirmant;

in primis si opera non diriguntur

ad gloriam Dei.

## VIII.

VIII.

*An mediocritas forma virtutis in genere & singularum virtutum in specie sit?*

Videtur hæc quæstio aliqualem lucem afferre cognitioni de forma virtutis & simul tollere objectionem, quâ adversarii insurgunt ita:

Genus & Species non possunt eandem habere formam;

Atqui Virtus cujus forma est mediocritas est genus; Justitia verò, temperantia, fortitudo, liberalitas, modestia &c. sunt Species.

E. eandem formam habere nequeunt; & per consequens mediocritas non erit forma virtutis & justitiæ &c.

Sed responsio est datu facilis, si modo distinguatur inter formam (& consequenter hoc loco inter mediocritatem) *in genere* consideratam, quæ indiffidenter sese habet, & inter formam seu mediocritatem *in specie* & contractè acceptam; Priori modo mediocritatem esse formam virtutis, quatenus genus est, ultrò largimur; posteriori modo mediocritatem hujus vel illius virtutis *in specie* consideratæ formam esse asserimus, & propterea propositam probationem fallaciâ æquivocationis laborare concludimus.

IX.

*Quomodo virtus & medium & medii indagatrix esse possit?*

Respondent Ethici virtutem esse medii indagatricem, quâ *usum* & operationem in affectibus moderandis, medium verò quâ *habitu*.

X.

*An virtutes & vitia temperamentum corporis sequantur?*

Cum plerunq; sanguineos hilariores, cholericos iracundiores, phlegmaticos & melancholicos segniores esse aliis perspicimus, quæritur: Num à corporis temperamento mores dependeant? Alii ad hoc quæsitum respondentes distinguendum

B

esse

esse arbitrantur inter mores Physicos & Ethicos, illos innasci; hos vero industriâ acquiri & doctrinâ & exercitatione illis succurrere statuunt; Inde fieri dicunt, ut homines in moribus bene educati se magis à malis affectibus cohibere possint, quam qui malè educati.

XI.

*An summum bonum morale hac in vita possit dici perfectum?*

Summum bonum civile cum summo bono in statu integritatis considerato collatum non absolutè summum dici posse, nemo est qui dubitet; ideò de bono nostro civili absolutè considerato non quærimus; sed illo seposito de summo bono ad præsentem hujus vitæ statum relato nobis est sermo; Quo respectu observato dicimus: Summum bonum morale esse bonum imperfectum: Beatitudo enim æterna est simpliciter summè bona; sed civilis seu moralis saltem secundum quid; Perfectum tamen est in suo genere seu ratione suæ essentiæ, sed non ratione existentia: Nam post lapsum illa *ἀφροσύνη καὶ συμφορὰ* mentis, voluntatis & cæterarum potentiarum desit. Unde Croesus in hanc prorupit sententiam:

— — — — — diciq; beatus  
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

XII.

*Num vir bonus in adversa Fortunâ sit beatus?*

Ad hanc quæstionem supra responsum est; Ideo breviores hic erimus præmittentes distinctionem inter *τὰ τοχικά* bona & mala; De illis non quærimus: siquidem ea non posse virtuoso afferre mutationem, sed per ea magis elucescere virtuosum, dum ei hac occasione præbentur media & requisita ad virtutem eò melius exercendam; De hisce (malis) asserimus, ea labefactare quidem viri boni beatitudinem; non verò prorsus adimere; quia vir bonus est *τετραγώνος ἀνευ ψόγης* fert varios fortunæ casus, nec à quovis vento agitur.

XIII.

XIII.

*An quadam ratione quis suos in virtute profectus  
sentire possit?*

Authores Ethici affirmativam defendunt certa q̄; *εὐδαιμονία* seu indicia proferunt, quorum præcipua hæc sunt: 1. Si quis continuo & æquabiliter sine offensa virtuti det operam, nec jam calidus est mox tepidus aut frigidus, jam bonus, mox incontinens; uno verbo: Si quis constanter virtutem prosequitur, ita ut posteriores actiones virtutum ad minimum eodem, si non majori fervore peragantur. 2. Si quis honestarum actionum quasi desiderio tangatur. 3. Si aliorum de se audiat bonam famam. 4. Si intra se gaudeat operatione virtuosa, exindeque quandam sentiat in se voluptatem, ita ut abhorrere videatur ab extremis, & ea vitare. 5. Si operetur virtuosè non ob voluptatem, sed ob honestatem, &c.

Laus, Honor & Gloria.



Ad

DN. Respondentem.

**L**audo propositum, Claras dum fortiter urges  
Artes, inceptam continuasq̄ viam.

Rectè ita: nam benè qui cepit, nec desinit, ille

Nomine perpetuo commoda digna capit.

Tramite perge tuo ccepto; sic itur ad astra

Quodq̄ tibi pandit Phœbus honoris iter.

Gratulabundo animo  
amico suo ac commilitoni  
adjiciebat.

Elias Breuner Leorinus Silesius.

Hercu-

SUO EMRICO.

**H**erculeos Emrice subis, magnosq; labores  
Dum tua Castalio labra madore rigas,  
Pergito ceu pergis, veniet tibi tempus & hora.  
Quæ factum atq; tuum nomen ad astra vehet.

Amico suo per dilecto

ὀλοψύχως app.

Jacob: Clemens Vratis L.



Ad suum Emricum.

**S**iveram tibi mens, Emerice, acquirere laudem,  
Ac inter doctos nomen habere viros,  
Perge, ut cœpisti, lux & conatibus istis  
Fulgebit, nec tæ spes tua decipiet.

Imq; f.

Antonius Stierius.

F I N I S.



05 A 1805

ULB Halle

3

003 787 303




1100A









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

MORALIS  
XVI.  
ens  
IONES  
M MO-  
S+  
x. adfistente  
lbim Academiâ  
DE  
EO Grossern/  
icæ Adjuncto.  
ridbergâ-Silesio.  
itij gratiâ  
i subjecta  
prilis.  
RGÆ,  
STIANI THAM.  
XXX.

2